



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 12. Die Prædicatione S. Ioannis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

MEDITATIONVM. 39

præceptorum, tum apud homines per bonæ conuersationis exemplum.

5. Christus, dum esset puer, crescebat atate, virtute & gratia. Merito hic pudeant multi Christiani, qui filios suos non secundum formam à Christo suo exemplo præscriptam, sed secundum peruersam huius mundi disciplinam educant, & dedecori sibi esse putant, cum filij proficiunt in timore Dei, cultu pietatis & studio virtutum christianarum: gaudent autem, quando vident eos in carnis prudentia, & mundi nequitia aliquos facere progressus.

6. Christus, vt scriptum est, coepit primum facere, deinde docere. Nam triginta annos primò exercuit se in obedientia, patientia, & oratione. Deinde verò tribus annis vltimis prædicauit, & docuit alios, vt intelligat prædicator Euangelicus, si verbo alijs prodesse velit, sibi vitæ integritatem, & bonorum operum exercitium primùm curandum. Nam non facilè alios docebit verbo, quod nõ ipse prius præstet suo exemplo.



MEDITATIO XII.  
DE PRAEDICATIONE

S. IOANNIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. Anno 15. Tiberij venit Ioannes è deserto ad Iordanem, prædicans baptisimum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, dicens: appropinquauit regnum Cœlorum.

Matt. 3.

Marc. 1.

Luc. 3.

2. IOAN-

II. Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum, cibuscq; eius erat locusta, & mel siluestre.

III. Dans omnibus praecepta, cum putaretur esse Messias, dixit: Veniet fortior me, cuius non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti eius. Ille vos baptizabit Spiritu sancto.

## FIGURÆ.

Gen. 41. PHARAO Rex iussit ante currum regium Iosephi præconem clamare, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.

## PROPHETIÆ.

Mal. 3. 1. ECCE ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem tuam.

Psal. 131. 2. Paravi lucernam Christo meo.

Esa. 40. 3. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri: omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.

## DOCUMENTA.

1. Ioannes adhuc puer ingressus desertum, in Ieo austerissimam vitam vsque ad trigessimum ætatis annum constanter egit; in confu-

confusionem nostram, qui ingredimur quidem interdum virtutis viam, sed vix biduum aut triduum in ea perseueramus, subito defatigamur, & minima occurrente difficultate tergiuersamur.

2. Verisimile est, Ioannem si arbitrij & solatij sui rationem habere voluisset, potius electurum fuisse tranquillum solitudinis suæ statum, in quo familiaritate Dei, & angelorum fruebatur, quam in publicum proditurum, vbi sciebat multa se magno animi dolore conspecturum legi diuinæ repugnantia: verum simulatque diuina reuelatione cognouit se euocari ad auxilium proximorum, consolationem propriam Dei voluntati posthabuit. Vnde discimus, sæpè esse præclarum virtutis opus, deserta contemplationis & propriæ deuotionis quiete, vacare operibus misericordiæ; & salutis proximorum curandæ se totum impendere.

3. Deus Ioannem ex deserto ad prædicationis officium euocauit: vt intelligeremus eos, quibus incumbit officium alijs prædicandi, debere esse amicos pœnitentiæ, & recollectionis: neque enim alijs facîle auctores esse poterunt sectandæ virtutis, vel amore diuino corda eorum accendere, si ipsi tepidi sint, & sanctæ vitæ exemplo non præeant alijs.

4. Si Sanctus Ioannes in vtero matris sanctificatus, quo inter natos mulierum maior non fuit, tanta seueritate tractauit corpus suum; quanto minùs nos, qui sumus prauis inclinationibus & habitibus peccatorum pleni, debemus molliter tractare carnem nostram, sed potius durè & asperè, ne pugnet aduersus spiritum.

5. Ioannes, idem est, quod, Gratia. Veri ergo filij sunt gratiæ, qui ad imitationem Ioannis

nis

*Gal. 5.* nis se separant à mundo, & carnem suam mortificant, vt docet Apostolus. *Qui Christi sunt, inquit, carnem suam crucifixerunt cū vitijs & concupiscentijs.*

6. Ioannes sua prædicatione in deserto, formam quandam & exemplar descripsit prædicatoris Euangelici, & primò quidem, vt, quod ad doctrinam attinet, annuntiet pœnitentiã, renocando homines à peccatis, & viam salutis indicando. Secundò, vt sit continens & castus, quod designat Zona pellicea, qua Ioannes succinxerat suos lumbos. Tertiò, vt austeritate vitæ cum Ioanne alijs sit bono exemplo. Vnde &

*1. Cor. 9.* Apostolus de se scribit: *Castigo corpus meū, & in seruitutem redigo.*

7. Ioannes non solum ad pœnitentiã, sed etiam ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos homines adhortabatur. Quare monemur, non satis esse ad auertendam Dei iram à peccatis abstinere, sed præterea fructus dignos pœnitentiæ faciendos, hoc est, mala opera, compensanda esse totidem bonis & satisfactorijs operibus. Nam ad curandum vulnus, non sufficit sagittam vel ferrum extraxisse, sed opus est porrò applicare medicinam, secundum illud.


*Psal. 33.* *Recede à malo; & fac bonum.*

*1. Petr. 3.* 8. Ioannes hortabatur populum, vt rectas faceret semitas in deserto. Vnde docemur vias breues & compendiaras, quibus citius peruenitur ad patriam caelestem, rectius per solitudinem, quàm in mundo hærendo, hoc est, separãdo se à sæculi huius tumultibus, institui. Hortatur quoque vt dirigamus vias nostras: nam turpe & præposterum est, hominem statura corporis esse erectum in cælum, anima verò depressum & incuruatum in terram; ocu-

los

los corporis sursum, animæ verò affectus deorsum reflectere.

9. Antequam dies ille adueniat, quo à Domino frumenti instar in area ventilabimur, bene ipsi nos examinemus, verene triticum simus, an palea, id est, an sint in nobis fructus pœnitentiæ, & bonorum operum, & non nomen tantum hominis Christiani; sine operibus præferamus procuremusque dum tempus habemus opportunum, ita agendi causam nostram, ne ad extremum, vt palea in ignem æternum abijciamur.



MEDITATIO XIII.

DE BAPTISMO CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Matri valedicens, ad Ioannem baptizandum in Iordane profectus est.* Matt. 3.  
Marc. 1.  
Luc. 3.

II. *IESVS à Ioanne licet inuito ac dicente: Ego à te debeo baptizari: baptizatur, dicens: Sine modò. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.*

III. *Spiritus sanctus de cælo descendit, & Pater attestatus est: Hic est Filius meo dilectus in quo mihi cõplacui.*

FIGVRÆ.

POPULO Israelitico transeunte Iordanem, vt ingrederetur terram pro-